

Dissertatio philosophica de formatione foetus humani / [Johann Gregor Schoenfeld].

Contributors

Schoenfeld, Johann Gregor.
Maius, H.
Philipps-Universität Marburg.

Publication/Creation

Marburg : S. Schadewitz, 1672.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bwya9td4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12

DISSE^RTAT^O PHIL^OSOPHICA^A
DE
FORMATIONE
FOETUS HUMANI,

Quam,

Deo clementer adjuvante,

Ex DECRETO ET AUTHORITATE
AMPLISSIMÆ AC CELEBERRIMÆ
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN ILLVSTRI
ACADEMIA MARPVRGensi,
P R A E S I D E

VIRO

Nobilissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo

DN. HENRICO MAIO,

Med. Doct. Serenissimi Hassiæ Princip. Archia-

tro, itemq; Anatom. Chirurg. & Physices PROFESSORE, in

prælaudatâ Academiâ, ORDINARIO, Præceptore, Patrono

ac Promotore suo nunquam satis colendo,

Pro MAGISTERII laureâ rite obtinenda,

In Auditorio Philosophico.

Ad diem XIV. Decembris horis solitis

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit

JOHANNES GREGORIUS Schönsfeld/
WASENBERGENSIS HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.
Anno M.DC.LXXII.

•**NOBIEISSIMO, AMPLISSIMO AC
CONSULTISSIMO**
VIRO
DN. NICOLAO
Münch
**REGIMINIS AC CAMERÆ
PRINCIPALIS, INFERIORIS HASSIÆ,
CONSILIARIO ET REI MILITARIS COM-
MISSARIO GRAVISSIMO &c.**

**DN. MECOENATI, PROMOTORI AC PATRONO
SVO ÆVITERNVM SVSPICIENDO,
COLENDO,**

*Hancce dissertationem Philosophicam,
in sui suorumq; studiorum com-
mendationem humilimè conse-
crat atq; dicat*

Joh. GREGORIUS Schönfeld.

B. C. D.

Niramur sæpè quæ non miranda, vera miracula cæco præterimus impetu. Maria enavigant homines ut videant mira audiantque. At verò, ô homo! subsiste paululum, periculoſo hoc labore supersede, revo- ca modò è regionibus longè diſſitīs tuas cogitationes, teque ipsum penitiūs contemplare; mirabiliora certè, quam Asia & Africa oſten- tant, proprium tuum tibi exhibebit corpus. En ſoles iſtos geminos, oculos loquor, ex orbibus ſuis prominentes! Ecce quomodo in audaciâ proſiliant, ſubmittant ſe in reverentiâ, blandi- antur in amore, efferantur in odio! Binas tuas aſpice manus, quinq; eas claudere digitos ele- ganti ordine diſpositos, reperies; extremitates

digitorum munientes ungues nunc livido colore maculatos, nunc alba futurorum prælagagerentes puncta videbis ; lineas etiam ac montes, unde multi multiplices , de hominum moribus, moribis ac mortibus , seellantur conjectationes , offendes. Quid multa ; Nihil in te est, quod non ostentatione, quod non admiratione dignum. Nihil natura habet, quo glorietur , aut cui gratuletur magis. Tot in te sunt miracula quot membra. Non immiteritò itaque Zoroaster, hominis fabricam & perfectionem diu contemplatus, tandem exclamat : ὁ τολμητάτης τῆς φύσεως ἀνθρώπε, τέχνασμα ; ac si diceret : tunc naturam audax facinus esse molitam, cùm primùm de hominis architecturâ cogitaverit. Hanc mirabilem hominis architecturam ac vix investigabilem corporis formationem, præsens nostra disputatio taliter qualiter adumbrabit. Tu interim, benevole lector, imbecillitati nostræ tuâ benevolentiam ac favore succurrere quæso ne dedigneris. Deus cœpta secundet.

SECTIO I.

PROPONIT MATERIAM EX QUA FORMATUR FOETUS.

Nulla creatura corporea in immensa orbis fabricâ unquam est inventa, quæ originem ex aliquâ præexistente non duxerit materiâ. Imò ipse Jehova, Conditor omnium rerum, in creatione hujus universi, piscibus ac avibus ex aquâ; omnibus verò herbis atque arboribus, ut & omnibus bestiis, jumentis & reptilibus terræ ex terrâ productis, tandem hominem Dominum omnium rerum in sublunari hoc mundo contentatum, ex pulvere terræ formavit, illique, ne vitam in aeternam degenerare adiumentum ac societatem mulierem ex ejusmet costâ ædificatam adjunxit. Acturi itaque de formatione fatus humani, de ejus materiâ agamus, necesse est.

Est verò ea semen prolificum & fœcundum utriusq; sexus. Dico verò utriusque sexus: Semen enim unius saltem sexus, non verè & propriè semen est, sed habet se potius ad semen propriè dictum, tanquam pars ad totum, uti Aristoteles, de gen. anim. l.i. c.18. hisce verbis testatur: Genitura cñim, ait, id vocatur, quod à generante proveniens causa est, quæ prima obtineat principium generationis; videlicet in iis, quæ natura coire voluit: Semen autem est, quod ex ambobus coeuntibus illis, originem trahit, quale semen plantarum omnium est & animalium nonnullorum, in quibus sexus distinctus non est: velut id, quod ex mare & fœmina primùm miscetur, quasi conceptus quidam.

Cùm verò semen ad totum fœtum perficiendum non sufficiat, haud immerito additur *sanguis maternus* tanquam alterum formatio-
nis nostræ principium, qui ab aliis quoq; vocatur sanguis menstruus,
quia singulis mensibus in fœminis non gravidis evacuatur: Cùm enim
corpora fœminarum, quam virorum, sint frigidiora, non possunt
omnem sanguinem in nutrimentum convertere, unde sanguis indies
in venis atque arteriis augetur, usque quo tandem in eam molem ex-
crescat, quæ à naturâ sustineri amplius non possit, & propterea hæc
ad expellendum irritentur. Hunc sanguinem semen ab utero receptum
attrahit quemadmodum glans vel aliud semen alicujus arboris vel her-

bæ, humorem sibi convenientem è terra, ex eoque quasi nutritur. Et hæc sunt tua, ô homo, primordia, ex quibus in utero inter sterlus & urinam formatus es.

At hic nobis vix atrium hujus dissertationis ingressis in limine statim *Harvæus* se opponit, qui vasa præparantia & deferentia inventare non potuit, & propterea fæminas omni omnino semine carere putat. Ejus verba *lib. de gen. anim. exerc. 65.* hæc sunt: Vasa autem præparantia dicta & deferentia vel ejaculantia, hic non invenies; nec (quod sciam) in aliâ aliquâ fœminâ visuntur; & Anatomici (fœminam in coitu semen emittere rati) ea in muliere solicite nimis inquirunt: quippe omnibus non contingunt, & in quibus insunt, nunquam eodem modo reperiuntur. Quamobrem, *concludit*, verissimum videtur, quod etiam mulierum major pars afferit; ipsas nempe in coitu semen non effundere.

At verò, quam vera hæc *Harvæi* opinio sit unicuique etiam tyroni adhuc in Anatomia est notum. Ego per hanc *Harvæi* sententiam commotus, ope atque auxilio quorundam Commititonum meorum suavissimorum hæcce vasa in animantibus brutis quæsivi, ea verò inveni, quemadmodum per pulchrè à Bartholino delcripta atque delineata sunt, summâque cum delectatione oculis meis usurpavi: Sto igitur à partibus Bartholini, credoque potius propriis meis oculis, quam aliorum scriptis: Et quidem merito. Ipsa enim ratio, hæcce vasa adesse dictitat: nam ex Anatomicorum observatione, testiculi fœminarum turgent semine aquoso lacte vel sero lactis paulò crassiore; unde verò accipiunt materiam seminis si vasa præparantia desunt? semen effundunt in uterum, imò extra uterum, uti pollutiones nocturnæ fœminarum testantur: per quam viam, nisi vasa deferentia adsint? Unde sterilitas in fæmellis castratis? nonne ex ablatione officiæ seminis? Licet verò hæc vasa in quibusdam non inveniantur, exinde tamen non est concludendum, quod omnes fœminæ iis careant & propterea non elaborent atque effundant semen, nam adsunt in plurimis & si desunt, est præter naturam & rarissime: Nihil quoque obest, si non semper eodem reperiantur modo, nam natura varie nostris in corporibus ludere solet. Miror igitur, quod *Harvæus*, qui naturæ fuit aliâs scrutator solertissimus Anatomicusque oculatissimus, hæcce vasa invenire non potuerit: Miror certè, quod ea, quæ adesse

adesse ipsa ratio dicitat, negaverit. Sed quid miror? Fuit quoque homo, propterea humani nihil ab eo alienum fuit.

Quin etiam interdum magnus dormitat Homerus.

Idem *Harvæus*, per multis annos, multis sectionibus in brutis celebratis, nihil post coitum seminis in cavitate uteri inveniens statuit: genitaram maris brevi vel elabi iterum vel evanescere. At verò statuit: hoc est, absque fundamentis firmiter claris id profert & afferit: Nam hoc absurdum esse, non solum multorum probatorum Philosophorum ac Medicorum authoritas, sed & ipsa mulierum observatio testatur: illi enim unanimi ore dicunt, quod effluxus seminis sit signum irritæ conceptionis: quod enim semen interdum iterum effluat, hoc sit vel vitio seminis, quia nimis malè coctum & nimis aquosum est, vel alio modo non rectè se habet: Vel, quia muliebria nimis humida lubricaque sunt, ut in meretricibus plerunque, quæ paucis non sunt contentæ, quarum ager die noctuque matrum imbris irrigatur. Et, ut aliquos tantum Authores in medium proferam: *Macrobius lib. 1. in somn. Scipion. c. 6.* ita scribit: Semen, quod post jactum sui intra horas septem non fuerit in effusionem relapsum, habuisse in vitam pronunciatur. Et paulo post: Conceptum, quem quisque ultra septem horas sustinuerit, esse ad vitam creatum. Et *Hipp. lib. de genit. ait:* Si mulier aliquando partū experta fuerit, & advertit, quando genitura non exciderit, sed intus remanserit, sciet quā die conceperit. Ipse quoque *Harvæus* dubitanter suam proponit sententiam, nam addit: vel evanescit. At verò, semen evanescere videtur dictu durum, nullum enim corpus evanescit. Nisi velit hoc: quod scilicet semen maris & fœminæ in uterum immisum, ab eo statim imbibatur in eoque ad tempus absconditum retineatur. Quam, si ita explicaretur, sententiam ambabus amplector manibus: eam enim, ipsa post coitum constitutio uteri comprobare videtur, nam peracto coita: teste *Harvæo*, uterus statim immutatur, sit paulo carnosior & crassior, mollior etiam & tenerior conspicitur.

Quid verò sit semen & ubi fiat ab Authoribus maximè controvèrtitur. *Aristotelis asecla* statuunt, esse excrementum ultimæ digestionis, & ad hanc suam sententiam confirmandam hoc utuntur arguimento: Quicquid, inquit, in corpore est & continetur, aut pars corporis est, aut alimentum, aut colliquamentum aut excrementum:

Sed

Sed semen nec pars corporis est, nec alimentum, nec colliquamentum. E. erit excrementum. Minorem probant sic : Pars non est; quia si pars esset, quoties profunderetur semen, toties mutilum esset animal. Non alimentum; provenit enim ex intrinseca corporis substantia, alimentum autem adventitium & extraneum est; neque excerneretur. Multò minus est colliquamentum; quia nec res est præter naturam, sed quid naturale, cùque proprium à natura est tributum conceptaculum, quemadmodum ceteris excrementis.

Verum enim verò, in argumento hoc insufficiens est enumeratio partium: nam præter partem, alimentum, colliquamentum, excrementum, aliud adhuc datur, nimirum fructus: *semen enim est fructus viventis, in eum finem productus, ut simile per id progenereur*: nam semen & fructus, *Authore Aristotele, de gen. an. l.1.c.18.* inter se differunt tantum, prioris posteriorisque ratione; fructus enim, quod ex alio est: semen ex quo aliud: nam alias ambo idem sunt.

Interim tamen non negandum, quod *sano sensu semen possit quoque dici excrementum*: Nam si excrementi etymologiam, ortum & naturæ scopum animo voluemus, facilimè nobis erit comprobatum, semen verè excrementum esse & dici: Quandoquidem excrementum ab excerni dicitur, ut, quicquid è corpore emittitur, excrementum dicatur etiam si sanguis sit, hoc tamen discrimine, ut aliud toto genere p.n. exempli gratia, si sanguis: aliud qualitate quantitatéve, ut verbi causa bilis &c. aliud nullo horum modorum, sed secundum naturam dicitur excrementum, sicuti quando animal coēudo semen ejaculat. Tunc enim, quia excernitur, excrementum nuncupatur: quia ultrò & naturæ id jussu sit, secundum naturam dicitur.

Quidam hoc *semen cerebri partem esse existimârunt*: Alii à spinali medullâ secerni putârunt. Alii à capite prolabi dixerunt. Hippocrates illud in toto corpore elaboratum solum per testes transmitti, affirmavit. Verum enim verò, quæ sunt viæ per quas semen decidat? Venæ non sunt: quia nihil ad partes vehunt, sed sanguinem à nutrimento superfluum & viribus vitalibus non nihil exhaustum, ab arteriis acceptum, continuò ad cor, fontem istum caloris, ut ibi novo calore perfundatur, revehunt. Neque nervi; hi enim omni omnino sensibili carent cavitate, & propterea inepti sunt ad hoc munus obcundum, An forsan arteriæ? Non credibile est.

Propterea, cùm vix per quas semen ex toto corpore decidat, non inveniantur, haud immerito semen in testibus confici putatur. Considera testium substantiam pultaceam & semini conspissato similiam, cuius similis non est in toto corpore ; ea tibi persuadebit. Aspice in testibus infinitam arteriarum atque venarum sanguine tumentium congeriem ; illa tibi probabit : pro nutritione enim solum tantâ sanguinis copiâ non opus erit. Et quid opus esset tot tunicis testes muniri, si non peculiaris coctio in iis fiat ? Testes præsentes non modò ad fæcunditatem, sed etiam ad totius corporis temperamenti, habitus & morum quoque alterationem, mirabilem & penè incredibilem vim habent. Pueris pubescentibus vox mutatur : juvenes & florente ætate constituti, ob bonam testium constitutionem, fiunt alacres, agiles, fortes, animosi & in omnibus actionibus promptissimi. E contrario verò, ablatis testibus, semen non amplius generatur & animal fit sterile, vires, alacritas, animositas & totum temperamentum mutatur. Eunuchi anteagraciles, fiunt obesi cute succedente glabrâ non modò in mento, sed & toto corpore, sanguinisque flore hebescente. Unde verò hæc omnia, nisi peculiaris coctio in iis celebraretur.

Sunt itaque testes organa in quibus generatur semen : Hi sanguinem arteriosum spiritu vitali copioso mixtum, ut & spiritum animalem per nervos adveatum, in labyrinthis anfractibus & membranis inter se non nihil mixtos atque alteratos, suum in parenchyma accipiunt, qui ibi à peculiari fermento coquuntur atque in semen mutantur ; demum semen jam confectum ad parastatas mittunt, quod ibi colligitur, non nihil fermento continuato perficitur & incrassatur ; perfectum abhinc per vasa deferentia, in maribus ad vesiculos seu cellulas seminarias defertur, ibi colligitur, continetur & reservatur pro congressu Venereo : Quod in testibus verò superest sanguinis vel regreditur per venas spermaticas ad cor, vel in testium nutritionem abit.

At dicat aliquis : Venus moderata & legitima totum corpus allevat & ad sanitatem conservandam non parum facit, ut unanimi authorum testimonio probatur : At quomodo exinde in totum corpus posset quicquam levaminis redundare, nisi ex toto aliiquid evacuaret ? Immoderata contrà libido plus totum enervat corpus, quam satis larga sanguinis profusio ; at partes solum genitales deberent debiles reddi, si ex illis solum semen procederet. Ab immoderata Ve-

nere paralysis, epilepsia, apoplexia & similes morbi terribiles & lethales, quos tamen etiam à largissimâ sanguinis effusione non facilem ullus experietur; necesse igitur erit, ut semen ex toto corpore effundatur.

At verò committitur hīc fallacia ignorationis elenchi: Hæc enim rationes nihil aliud persuadent, quàm, quòd in actu Venereo nobilis quædam è toto corpore substantia effundatur, cujus jactura tantas post se relinquat calamitates, quod & nos libentissime concedimus. Hæc verò nobilis substantia non est semen, sed potius spiritus vitales & animales: hi in ardore conjugali in toto corpore irritati, ad vasa deferentia, peculiari naturæ impetu præcipitantur: hi semen suo spiritu fœcundum irritant, commotionem in partibus genitalibus insti- tuunt, ut ejaculatio commodius fieri possit.

SECTO II.

IN CAUSAM EFFICIENTEM FORMATIONIS FOETUS INQUIRIT.

Nihil est causa sui ipsius, sed quicquid sit ab alio fit, commune est axioma Philosophorum. Quapropter, cùm in præcedente sectione, materiam ex quâ formatur fætus, proposuerimus, jam in ejus causam efficientem inquiramus, oportet. Est verò res inquisitu certè difficillima, maximisque undique difficultatibus atque controversiis implexa & circumsepta: Sed quicquid sit, spargendæ nihilominùs sunt manus, quo ipso non potest non fieri, ut non aliquando succedat speratum multa tentantibus. Imò cum labore quicquid queritur, optimum quoque videtur, & animus ipsâ sic rerum difficultate crescit. Proponemus ergò opiniones nunc quasdam Authorum, sed sermo- ne ad compendium coacto.

Quidam ad rerum omnium causam primam, Deum configuiunt ejusq; potentiam & sapientiam formationis fœtūs humani causam sta- tuunt, adducuntque pro suâ sententiâ illud Psalm. 119. v. 73. Manus tuæ fecerunt & præparaverunt me. Et, Jobi c. 10. Manus tuæ finxe- runt me, ac fecerunt me simul per circuitum, & disperdes me? Me- mento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me? Nonne sicut lac liquefecisti me, & tanquam caseum coagulasti me?

me? Cuto & carne circumvestiisti me, atque ossibus & nervis co-
operuisti me.

Verò enim verò, licet sapientia & potentia Dei satis in forma-
tione corporis eluceat, ideo tamen causa proxima & sola formationis
Deus non est statuendus: Deus enim causa physica non est, sed causa
prima & universalis, non physico motu, sed eminenti & ineffabili
modo, ac suā præsentia res omnes conservans, fovens, & in actioni-
bus suis obeundis gubernans: Qui, et si in principio mundum atque
omnia, quæ in eo sunt, creavit, naturam tamen dedit, quæ ordinaria
Dei potentia est, cuius lege jam rerum generatio perficitur. Et con-
currit jam Deus quidem in omnium rerum naturalium generatione
ut causa prima & universalis, quæ verò oriuntur, causarum secunda-
rum proximè effectus sunt, Deusque dicitur omnium rerum causa ef-
ficiens, cùm, quia primò eas creavit, cum, quia causis secundis vim ac
potestatem dedit, proximè effectus suos producendi.

Alii uterum maternum esse causam conformatioonis statuunt. At
verò, quām absurdissimum hoc sit cuilibet erit notum: Nam, si ute-
rus opus formationis perficeret, ille fœtum tangat, procul dubio ne-
cessit esset. At verò inter uterum & fœtum intercedunt membranæ,
 $\chi\delta\gamma\iota\sigma\tau$ & $\alpha\mu\nu\Theta$, fœtum amicientes, & illi humores in membranis
istis conclusi, ut uterus fœtum immediate attingere non possit. Imò
in ovis hujus sententia falsitas appareat: ex illis enim, extra uterum
gallinæ, alterius quoque avis incubitu; imò, ut historiarum monu-
menta produnt, in fornacibus artificiosis Ægypti, Hetruriæ & Daniæ,
pulli excluduntur. Erit itaque aliud quid in ipso semine latitans.

Alii fingunt peculiarem quendam $\lambda\circ\gamma\sigma\tau\pi\lambda\alpha\sigma\iota\kappa\sigma\tau$ eumque faciunt
causam formationis fœtūs. Verùm enim verò, hic $\lambda\circ\gamma\Theta\pi\lambda\alpha\sigma\iota\kappa\sigma\tau$
esset vel substantia vel accidens. Accidens non potest esse: nam
ne mille quidem accidentia minimam possunt producere substantiam,
quia alijs ignobilis effet causa nobilioris, quod est absurdum: nam
omnis causa est nobilior suo effectu, vel ejusdem perfectionis cum
eo. Et, si accidens produceret substantiam, illam contineret vel for-
maliter vel eminenter. Ast nullo modo eam continet. Quòd non
formaliter, est in confessu. Quòd non eminenter, patet exinde: quia,
quod eminenter continet, est superioris ordinis & excellentius illo,
quod continetur. Accidens verò est inferioris ordinis quam sub-

stantia. Si esset substântia, vel esset corporea vel incorporea. Cor-
porea esse nequit: Materiæ enim non est agere sed pati. Si substâ-
ntia incorporea, esset vel anima vel aliud præter animam. At verò quid
opus est entia multiplicare citra necessitatem, cùm omnes operatio-
nes, quæ huic λόγῳ πλασικῷ tribuuntur animæ tribui possint? Et,
cùm anima in semine ad omnes hæc operationes, quæ λόγῳ huic
πλασικῷ tribuuntur sufficiat, quid aliam causam præter animam finge-
re opus est?

Nos igitur, ut nostram addamus sententiam, statuimus, *causam*
formationis esse animam. Hæc statim; sive traducatur, sive creetur (de
co enim nobis impræsentiarum non est sermo) post conceptionem
est in semine: nam, ut Aristoteles 2. generat. animal. c. 1. scribit,
omnia quæcunque aut naturâ aut arte efficiuntur, ab eo, quod actu
est, fiunt, ex eo, quod potentia tale est, motumque & principium tale
in se habet, ut motu peracto, pars unaquæque existat, quæque eadem
sit animata. Ideoque in hominis generatione, id, quod format cor-
pus, præsens esse & cum materiâ conjungi oportet. Animæ verò præ-
sentiam, operationes, quæ in semine manifestissimè deprehenduntur,
sufficienter arguunt. Cùm enim ex aliâ materiâ hepar, ex alia ventri-
culus, ex alia cor, ex alia cerebrum, ex alia vena, ex alia arteria, ex alia
nervus, formetur, quid est, quod materias hæc segregat & discernit,
nisi anima? Ubi hæc materiæ segregatæ fuerint, quid suo quæque loco
collocat? quid alium locum cerebro, alium ventriculo, alium cordi,
alium epati, attribuit, nisi anima? Quid demum cuique parti suam fi-
guram, quantitatem, numerum & similia tribuit, nisi anima? Esse au-
tem operationes istas nullius aliâs rei, quam ipsius animæ, facile co-
gnoscet, qui perpendit, quæ nam causa sit, quæ ex fætu animalis par-
vo, animal magnum facit; eandem figuram corporis in nutritione
conservat, ne perpetuo partium incremento mutetur, amissam car-
nem restituit; dentes elapsos in pueris reparat. Horum enim ope-
rum omnium, cùm, animam causam esse, certum sit, quid, quæso,
opus est, in primâ corporis ex semine structurâ, aliam formationis
causam querere quam ipsam animam, quæ eadem est in semine &
corpore vivente formato? Eadem enim omnino est opera, cùm ani-
ma in semine latens, ex illo corpus fabricat & cùm eadem postea car-
nem amissam restaurat. Atque ita, cùm eadem operationes in semine

& in

& in homine jamjam perfectè formato conspiciantur, idem in utroq; principium & agens indicant. Et propterea, cùm in ipso semine edantur operationes animæ propriæ, animam in semine esse, negare nemo potest, siquidem omnes facultates cuiuslibet formæ , atque imprimis animæ, emanantes & inseparabiles ab ipsa proprietates sunt; & proinde rectissimè concluditur : ubi facultates & actiones animæ reperiuntur, ibi ipsam etiam animam præsentem adesse ; & exinde facilimè ex operationibus ad latentis essentiaz & animæ cognitionem pervenimus.

Et nihil obest, quod anima vulgo actus primus corporis organici vocetur: Ad ejus enim receptionem corpore organico non opus est : anima enim, cùm per se quanta non sit, in materiam recipitur sive ulla quantitate & figura. Manifestè hoc videmus in plantis, in quibus quantitates & figuræ variæ mutantur, manente eadem anima. Alia enim est quantitas & figura germinis , è semine primò pullulantis, alia proceræ postea arboris. Tempore hyberno in multis caules emoriuntur, manente radice salvâ atque in eâ animâ. Deinde anima per se & primò est in partibus, quatenus sunt similares & non quatenus organicæ. In organicis verò saltem est, quatenus constant ex similaribus. At similares partes, ut tales, nullam certam figuram habent : & proinde anima non est in iis, ut certam figuram vel quantitatem habent, sed saltem quatenus tales sunt. Nimirum anima est in osse, non quatenus dens, tibia, ulna, talus, sed quatenus osest. Atque ita organica dispositio non est necessaria ad actum primum, sed solùm ad actum secundum seu operationes edendas. Neque corpus, ut organicum , simpliciter est subjectum ad æquatum animæ, sed tum solùm, quando jam corpus perfectum est & debet operari, & suis operationibus se in vitâ conservare.

SECTIO III.

IPSAM FORMATIONEM FOETUS DESCRIPTIT.

EST certè formatio corporis humani opus plane admirandum atque in quo ars & sapientia maxima appetit. Si enim ullum est opus

naturæ admirabile & in quo nostram oporteat fateri ignorantiam, & immensam Creatoris admirari sapientiam & potentiam, est illa fætus in utero fabricatio ; eâ enim arte effectus est atque efformatus hominis fœtus, ut illam admirari magis, quam laudare ; laudare magis, quam exactè introspicere omnia possis : nam materia ex quâ homo formatur, quomodo in aures, in manus, in brachia, in cor, pulmones &c. figuretur, quis potest ratione consequi ? Annon tibi inexplicabile videtur, quomodo humidum & molle in os durum ac frigidum solidescat ? quomodo fluidum in venas, arterias, nervos, musculos, ligamenta, tendines &c. crassescat ? At verò quid immoramus diutius in laude & admiratione rei nunquam satis laudandæ atque admirandæ : Convertamus nos potius ad rem ipsam.

Est itaque (ut rem paucis describam) formatio fœtûs humani, corporis ejusdem organici ex semine utriusq; sexus & sanguine materno, ab animâ productio. Fabricantur verò, non omnes partes simul, sed successivè atq; ordine emergunt. Quemadmodum nempe ex glande primò germen quoddam extuberat, postea verò ex illo radices, virgulta, turiones & frondes distinguuntur & formantur, tandemque arbor evadit : sic pariter se habet fœtûs humani in utero fabricatio.

Ut verò hoc è melius innotescat, totum formationis negotium cum Harvæo (cujus vestigia prememus, ex ejusque observationibus, quod rationi ac veritati consonum videtur, excerptemus) in duas dispescemus fabricas.

Quarum prima est concepiens in utero, antequam aliquid fœtûs efformatur. Peracto enim coitu semen maris & fœminæ ab utero attrahitur ejusque in poros insinuatur, ibique ad tempus moratur atque cum sanguine materno miscetur, tandem, ex eo per uteri cavitatem mucosa quædam filamenta, (tanquam aranearum telæ) ducuntur quæ membranosa ac mucilaginosa tunica vacua referunt. Post diem unum aut alterum, tunica hæc impletur aquosâ, albâ, lentiâ & albugineâ materiâ ; ovumque, cui putamen detractum est, humore isto plenum refert. Tempore procedente ex hoc primordio sive ovo, pars quædam aquosa limpidissima & purissima secernitur ; & claritate sive perspicuitate, reliquum ovi humorum (in quo continetur) longè superat. Forma illi rotunda est ; & in propriâ membranâ tenuissimâ ac transparente includitur, quam amnion vocant. Humorem alterum

sum crassiorem & turbidiorem exterior tunica chorion, concavæ uteri superficie contigua, totumque ovum ambiens, complectitur. Et hæc fiunt plerunque in fine primi, & initio secundi mensis, ab initio enim primi mensis vix quicquam conceptus in utero reperitur: Ut testatur *Harvæns lib. de gen. anim. Exerc. 56.* ubi sic scribit: Quippe primo mense vix quicquam conceptus in utero extare arbitror; saltem nihil unquam reperi. Labente vero eodem mense, conceptum rejectum sibi vidi (similem ei, quem ex tibicinâ excusum Hippocrates memorat) ovi phasiani magnitudine aut columbini; eratq; instar ovi exorticati, formâ nempe ovali: membrana autem crassior (chorion dicta) eum ambiens, foris ceu mucore albo obsita conspiciebatur [præsertim parte obtusiore;] intus vero lubrica apparuit, aquâ limpidâ lentâque plena: præterea nihil inerat. Secundo mense, pergit, ovum ejusmodi [sed majus] sèpè conspexi cum abortus indiciis rejectum, lochiis scilicet ichorosis: idemq; aliquando integrum; aliquando ruptum, thrombis sanguineis opertum. Intus laxe erat & lubricum; sanguine foris adhærente: eademque formâ, quâ prior, apparuit. In horum rejectorum quibusdam fœtum inveni, in aliquibus nullum.

Altera vero fabrica est fœtus ex isto primo conceptu geniti: ista autem quatuor potissimum gradibus sive processibus perficitur.

Primus processus est partis primogenita, cordis sc. cum suis vasis. Nam, cùm (teste Aristotele) conceptus institutus est, facit simile iis, quæ seruntur. Principium enim primum semina quoque intra se continent: quod potentia primò contentum, ubi secretum mox est, germen mittit & radicem, quâ alimentum assumitur: incrementum enim desideratur. Sic in conceptu quodammodo, cùm partes corporis omnes potentia insint, principium maximè promptum habetur. Quamobrem cor primum aitū secernitur; quod non modò sensu ita fieri constat, verùm etiam ratione. Quoniam enim nulla pars se ipsam generat, sed postquam generata est, se ipsam jam auget; ideo eam primum oriri necesse est, quæ principium augendi contineat, simulque reliquias omnes partes, suo quamque ordine distinguat & formet: proindeque in eadem primogenitâ particulâ, anima primariò inest, sensus motusque & totius vitæ author & principium. Ea igitur principalis particula est, unde spiritus vitalis calorque nativus cæteris

omni-

omnibus advenit ; in quâ Medicorum calidum innatum primò emicat ; & lar familiaris. seu focus perennis hospitatur ; Unde perpetuò in universum corpus, singulasque ejus partes, vita promanat ; nutritio, incrementum, auxilium & solamen proveniunt : denique ubi vita nascentibus primùm incipit & morientibus ultimò terminatur. Apparet verò hæc pars primogenita primùm tanquam *punctum rubrum saliens*, spargitque per humorem istum limpidissimum & purissimum in amnio contentum , in quo natat, subtilissimos venularum ramulos, quibus sibi, primis formationis diebus, ex illo humore, alimento attrahit.

Processus secundus est primi cuiusdam concrementi ; idq[ue], prout in mucosam substantiam coalescit, in duas partes dividitur, quarum *major & superior* conglobata atque in tres vesiculos distincta conspicitur, cerebri nempe, cerebelli & alterutrius oculi ; *minor autem (castrinam referens)* venæ cavae superoritur & secundum illius ductum protenditur. In capitis fabrica oculi primùm discernuntur. Reliqua corporis adumbratio quoque eodem tempore succedit. Primò super carinam , quasi navis latera assurgere videntur ; similari quidem ab initio consistentia, postea verò lineæ albissimæ costarum ductum indicant : Deinde membra motoria , pedes scil. & manus oriuntur ; tandemque carina atque artus ei adnascentes in musculos, ossa & articulos distinguuntur. Duo ista capitis, corporisque rudimenta simul apparent & distinguuntur ; at verò postea, cùm crescunt & perficiuntur, corpus citius multò augetur & efformatur, quām caput ; adeò ut hoc, quod ab initio totum reliquum corpus magnitudine superabat, eodem jam longè minus sit. Similis quoque disparitas contingit inter corpus & artus. Nam ab eo tempore, quo embryo longitudinem unguis digiti auricularis non excedit, donec ad ranæ aut muris magnitudinem auctus fuerit, brachia breviora sunt, quām ut extrema digitorum super pectus extensa, sese invicem attingere possint : & minora crura , quām ut reflexa super abdomen ad umbilicum usque proveniant. In processu hoc secundo , plurimæ formetricis facultatis actiones, ordine invicem subsequentes observantur, omnesque partes ex eadem mucosâ materiâ oriuntur. Nempe artus, spina reliquumque corpus augmentur simul & formantur ; delineantur unâ & colorantur ; membrorum item ossa, carnes, nervi & cartilagi-

cartilagine, quæ singulæ in ortu primò similares videbantur & uniusmodi, in progressu postea distinguuntur, junctæque inter se organa constituunt, ex quibus continuatione mutuâ corpus integrum fabricatur. Ita in capite, circumcrescente membranâ, ex aquâ limpidissimâ, cerebrum concinnatur atque oculi expoliuntur. Natura nempe, tanquam naupegus, spinam dorsi instar carinæ, primùm pro fundamento substituit; postea costas & sternum ceu tectum superstruit: atque ut ille navis; ita natura, corporis truncum fabricat & artus appendit. In eoque opere, partes omnes similares [puta ossa, cartilagine, membranas, carnem, nervos &c.] ex eodem primitivo glutine sive mucagine orditur. Initio enim crassæ fibræ efformantur, eademque mox nervosæ, postea cartilagineæ & spinosæ redduntur; ac tandem in ossa indurantur & concrescunt. Similiter membrana crassior cerebrum investiens, primùm cartilaginosa, deinde ossea evadit; dum tenuis, in tunicam atque cutim crassescit. Eodemque ordine caro & nervus, ex molli mucagine, in musculos, tendines ac ligamenta excoquuntur: cerebrum & cerebellum ex limpidissimâ aquâ in coagulum callosum densantur; quippe cerebrum infantium (priusquam syncipitis ossa firmantur) molle ac defluens appetet nec magis cohæret, quam lactis coagulum.

Tertius processus est viscerum; quorum generatio post corporis delineationem discernitur; eodemque ferè tempore omnia apparent; sc. jecur, pulmones, renes, cordis conus & ventriculi, simulque intestina. Oriuntur autem initio è venis iisque adnascuntur, quemadmodum fungi arborum corticibus; primùmque apparent alba, exsanguia & mucilaginosa, donec muneri publico accinguntur. Intestina cum ventriculo, primùm ceu filamenta alba & tortuosa, per longitudinem alvi porrecta reperiuntur, & unâ cum iis os sternum fabrefactum cernitur. Genitalia quoque circa idem tempus apparent. Hactenus autem viscera omnia & intestina, intra corporis cavum non reconduntur, sed foris pendula & quasi venuulis attexta, prominent: imò verò & cor ipsum. Truncus enim corporis etiamnum instar scaphæ vel ædificii sine tecto, conspicitur: quippe nec dum partibus anterioribus [pectoris nempe & abdomini] occluditur. Quàm primùm verò sternum apponitur, cor in pectus, ceu ædificium à se exstructum sibiique præparatum, ingreditur, in eoque ab-

sconditur, & tanquam lat familiaris, ambientis jam domus patrocinium suscipit, eandemque cum famulantibus sibi pulmonibus inhabitat. Jecur postea & ventriculus intra hypochondria reconduntur: tandemque intestina alvus amplectitur. Ordine jam dicto, partes interiores universim generantur. Dicta hæc in hoc tertio, uti & primo & secundo proceſſu, Harvæus ex pluribus secundi, tertii & quarti mensis embryonum humanorum disfectionibus observavit.

In quarto & ultimo processu, insima conditionis atq; ordinis partes efformantur : nempe, quæ non simpliciter ad ipsum esse hominis spe-
ctant, sed solummodo ad tutelam contra injurias externas : *cutis*
nempe partes q; omnes cutaneæ. Ideoque inter initia, nec labia, nec buccæ, nec auriculæ, nec palpebræ nec nasus discernuntur : ultimoq;
omnium coalescit linea illa, quâ labia superiora committuntur. Et
prudenter sanè à naturâ, quæ nihil unquam frustrâ molitur, institu-
tum est, ut partes illæ ultimæ generentur, quarum usus non, nisi post
ortum, contra mala fortinsecus advenientia, requiritur. Licet verò
homo nudus pariter & inermis nascatur, natura tamen exinde homi-
nis noverca non est dicenda : Quamvis enim natura homini non
concesserit cornua ut cervo ; ungues ut Iconi ; tamen aliis præsidiis
multò præstantioribus cum armavit, quæ cæteris animalibus denegavit.
Dedit enim manus beluis denegatas, quibus se suumque cor-
pus ab omnibus injuriis externis custodire & vindicare possit ; & qui-
bus facilè persequatur & efficiat, quæ animus jussit. Intellectu de-
nique & ratione eundem instruxit, cujus vi pelagus pertransit, cœ-
lum contemplatione intrat, astrorum motus & intervalla dignoscit,
terram & mare ad suam utilitatem accommodat, feras contemnit iisq;
dominatur, omnium artium cognitionem haurit, cuncta possidet, ex
omnibus voluptatem capit, hominibus & Deo loquitur.

At manum de tabula.

COROLLARIA.

16

HUmore in amnio & chorio contenti, non sunt sudores & urina
fætus, ut censuere veteres, sed potius parte puriore cedunt in ali-
mentum fætui; parie verò impuriore fætus securitati consulunt,
eiusq; exitum ex utero facilitant.

II. Spec-

II.

Spiritus, vitalis, animalis & genitalis inter se realiter non differunt.

III.

Dari signa ex quibus, an mas sit conceptus, an fœmina, cognosci possit,
ipsa experientia testatur.

IV.

In virginibus potest naturaliter lac generari.

V.

Simile simili nutritur.

VI.

Nullus homo est perfectior altero.

VII.

Quod tribuitur parti, id & tribuitur toti:

VIII.

Effectus denominatur ab agente non universali sed particulari.

IX.

Pumex integer levior est seipso in pulverem contrito.

Sonnet!

Lieble dir/ du weltling/ nicht; wan du liebst und lieben must
dein verschmeichelt-schnödes fleisch: merk zuvorderst/hastu lust/
wie/woraus/wie bald dein leib in dem lebendigen grabe/
in der werkstatt der Natur/ glied an glied genommen habe
eh die leber schöpfe bluht/ als das herz noch ohne brust/
und das hirn noch sonder haubt/ und der kost kein gang bewußt
in den magen durch den mund : bis die volle Gottes gabe
brach ermuntert an das schlecht/dan ein mägdlein/ dan ein knabe.

O dein' herkunft ist gar schlecht! wie vernunft und augenschein
von des Menschen bildung lehrt / und Herr Schönsfeld
führt ein

durch beweis und Meisterschrif/ die so gültig/ niedlich/ fein/
daz der Hessen Helikon heißt die Musen fertig sein
Ihm/ der schönen kunstgeburt/ einen Perlenkranz zu winden/
dessen glanz auf ewig sei bei gelehrter Welt zu finden.

Bu beglaubigung guter freundschafft
setze

M. Kaspar Baum.

In honorem Præstantissimi & Doctissimi
DOMINI CANDIDATI.

BRUMA quidem gelidis Aquilonis inhorruie alis
Acrior & niveo vellere vestit humum.
Terra riget, solidis frænatur flumina lymphis,
Non viola aut arbor, non rosa culta viret.
Provida secretos habitat formica penates,
Concava jam tacitas occulit arbor aves.
Thesylis & Corydon calidis fornacibus herent
Ardentiq; addunt ligna resecta foco.
Ille gravis longo declinat torpida scamno
Membra, latus juxta felis amica sedet.
Non tamen Aonii stringuntur frigore fontes
Irriguæq; fluunt Bellerophonis aquæ.
Crescent perpetua doctorum præmia palme
Ostentantiq; suum fronde virente decus.
Musis nulla quies & nulla Heliconis alumnis
Ocia, sunt vegeti quo mage sœvit hyems.
Absunt desidia languentes, exhedra fervet,
Pulpita desudant arte, palestra caler.
Miraris ! nostrum, si vis, modo adito Lyceum,
Publica Schönfeldus mox documenta dabit.

Adjecit
JOHANNES HEYMELIUS, Ph.Sc.

